

causa est cum Gentilibus ante Adamum conditis; quibus utique, neque Deus ille Adami, neque Adamus ipse unquam innotuit. Demonstrabitur autem paulò inferius, non ideò fuisse imputatum peccatum Adami, Gentilibus illis post Adamum genitis, quatenus illos Adamus genuit. Probabitur enim non imputari quod manat ex traduce, sed imputari propriè quod non materialiter generatur.

CAPUT XXII.

Analysis continua horum versuum Apostoli.

HIS ita explicatis, ut magis elucescant; eliciamus & contexamus hinc continuam, quam in partes secuimus, horum versuum analysin: quæ talis erit.

Versus XII. Sicut per temeratam legem Dei ab uno homine, peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: ita mors opsonium peccati, & proprium peccati inseparabile, pervasit in omnes homines, in hoc peccato, vel homine, in quo omnes peccaverunt. Quemadmodum per illam legis Dei transgressionem, peccatum imputatum fuit omnibus hominibus ita mors per illam peccati imputationem, regnavit in omnes homines.

Versus XIII. Certè, antequam lex Dei esset, antequam lex Dei esset violata; & usq; ad legem Dei, usq; ad legem Dei violatam, peccatum erat in mundo, & legem Dei precedebat. Sed illud peccatū non erat propriè peccatum; quia peccatum, propriè est transgressio legis Dei: at non existente lege Dei, nullū esse censebatur peccatum: non putabatur, quia non imputabatur. Peccatum tunc temporis censebatur tantum, vitiū inherentis & innata corruptionis in homine; in carne, in materiâ & naturâ hominis corruptioni obnoxia. Mors verò putabatur tantum effectus naturalis corruptionis illius: nondum enim decreta erat contra peccatum, quia lex nulla
à Deo